

No. 682. 1384. 14. Apr.

*B. Nicolaus stellt die vormals streitigen Güter und Renten in Cossebaude und Oberwartha (vgl. No. 663) mit der obern und niedern Gerichtsbarkeit freiwillig an das Capitel zurück.*

Nos Nicolaus dei et apostolicae sedis gratia episcopus ecclesiae Misnensis — publice profiteamur, quod quamvis dudum inter reverendissimum in Christo patrem, dominum Johannem, nunc Pragensem archiepiscopum, tunc vero Misnensem episcopum, immediatum antecessorem nostrum, et demum nos ipsum eius in dicto episcopatu successorem ex una, et honorabiles viros dominos . . praepositum, . . decanum, canonicos et capitulum ecclesiae nostrae praedictae parte ex altera super bonis et allodiis in Kossebude et in Wartha superiori se invicem prope contangentibus ac eorum censibus redditibus agris pratis pascuis vineis aliisque utilitatibus et pertinentiis universis quibuscumque censeantur nominibus, gravis et non modica fuisset suborta materia quaestionis, qualibet parte dicta bona ad se pertinere firmiter affirmante, tandem tamen diversis et variis controversiis dissensionibus litibus et altercationibus hinc inde diversimode praehabitis, et nonnullis etiam contractibus tractatibus et ordinationibus aliis subsecutis, ultimatin de iure partis adversae, videlicet dicti nostri capituli plenius edocti et efficacius informati praedicta bona et allodia in Kossebude et in Wartha omnia et singula cum utilitatibus et pertinentiis ipsorum ut praedicitur universis, quae aliquamdiu in aliquali possessione tenuimus et habuimus, paterna ad hoc pietate ac etiam zelo iustitiae moti, dicto nostro capitulo realiter et effectualiter restituenda ac plene et libere dimittenda duximus, et nihilominus ea eidem capitulo nostro restituimus et dimittimus per praesentes cum omni iure libertate utilitate honore et fructu perpetuo et pacifice possidenda, nihil iuris nobis aut successoribus nostris per amplius, in praefatis bonis aliquo modo reservantes, nullo etiam iudicio alto vel basso nobis aut successoribus nostris aliquo modo in huiusmodi retento. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum maius praesenti paginae duximus appendendum. Datum et actum Misnae anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto in crastino Tiburtii, quae fuit dies quarta decima mensis Aprilis, praesentibus nobili et strenuis dominis Bertholdo buregravio Misnensi, Ludewico de Lesnik, Ticzmanno Trugsesse militibus, et Johanne de Stuchow cliente, nec non honorabilibus viris dominis Conrado decano, Johanne de Lesten et Hartmanno Swan, prothonotario nostro, canonicis ecclesiae Wurczinensis ac Bertholdo de Gebese, Jacobo de Somerfeld et Henrico de Mëkow, vicariis perpetuis ecclesiae Misnensis et pluribus aliis fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem grösseren Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.